

CONTROVERSIÆ PHYSICÆ
DE
PROPRIETATI
BV S CORPORAIS
NATURALIS.

2y 15
IN ALMA ELECTORALI VNIVERSI-
TATE INGOLSTADIENS.

PRÆSIDERE ET MALLEUM.

BERNARDO FREY SO-
CIE TATIS IESV PHILOSO-
PHIAE PROFESSORE
ORDINARIO

P V B L I C E R E S O L V I T

RELIGIOSVS



F. DOMINICVS CAESAR
ORDINIS S. BENEDICTI PROFES-
SVS IN OBEREN ALTAICH, META-
PHYSICÆ STVDIOSVS.

ANNO VIRGINÆ PARTVS M. DG. XLIV.
MENSE APRIL.

INGOLSTADII,
Typis GREGORII HAENLINI.

HIERONYMO
PRÆSVLI REVERENDISSIMO
PATRI RELIGIOSISSIMO
Celeberrimi Monasterij Ordinis S. Bene-
dicti superioris Altahæ
ABBATI AMPLISSIMO
PARENTI SVO OPTIMO
CHARISSIMO

Hoc

Locatæ operæ ac Diligentia
testimonium,
Religiosæ obseruantia & honoris
Argumentum,
Debitæ gratitudinis & amoris
Indicium,

EX MERITO EX DEBITO

Dicat, Consecrat,
Filiorum & Seruorum Postremus, ac Totus Quan-
tus semper, & ybique
Addictissimus
E. DOMINICVS CÆSAR.

PRO O E M I V M.

Dicitur Prooemium. Ost Principia Causasq; Corporis naturalis, eiusdem potissima affectiones sunt discutienda, tunc enim rem scire videmur, cum eius Naturam, Principia, Causas & Proprietates cognoscimus; tribus proinde §§. que de potioribus proprietatibus Corporis naturalis inter philosophos sunt controvessa, nempe de Quantitate & Continuo, Loco, Tempore, modo methodoq;, consuetâ his thesibus proponemus:

S. I.

DE QVANTITATE ET CONTINUO.

I. AN QVANTITAS SIT REALITER DISTINCTA A SVBSTANTIÆ

Affirmant Thomistæ & Scotistæ, omnes apud Suarez. 2. Metaphysica disp. 40. sect. 2. eamq; sententiam vocant etiam communem inter philosophos & Theologos Complut. disput. 14. Logica q. 1. eo quod in genere nullum accidentis realis identificetur cum Substantiâ, & quod Quantitas in Eucharistica existat per se substantiâ.

Negant Nominales, qui Quantitatem identificant cum substantiâ & alijs qualitatibus materialibus, totq; Quantitates in Composite admittunt, quot sunt entitates materialis realiter distinctæ; in quorum sententiam inclinant recentiores aliqui cum Arrigâ, eo tamen discrimine, quod illi cum qualibet re materiali & corpore à Quantitatem identificant, hi vero cum sola materia.

Dico 1. Cùm forma & qualitates materialès etiám, siue sint eiusdem, siue diuersæ rationis, sint inter se penetrabiles, non possunt habere Quantitatem aut à se realiter distinctam, aut secum identificatam, ne duæ Quantitates naturaliter se penetrare cogantur: Materia tamen de facto habet Quantitatem sibi coxam, à se realiter distinctam, cum accidentia Eucharistica, beneficio remanentes adhuc Quantitatis sint impenetrabilia, ex eaque velut subiecto naturaliter educantur, & expellantur; quod sine subiecto Quantitatis à materia realiter distincto, & separato, fieri nequaquam potest, nisi nimium miracula absque urgente necessitate velis multiplicare. Quin tamen materia per se ipsam Quanta sit possibilis, vix videtur ambigendum.

II. AN RATIO FORMALIS QVANTITATIS SIT IMPENETRABILITAS?

Negant Thomistæ & Scotistæ cum Masio lib. i. physica q. 1. qui pro se citant Clippingum Thomistarum & Complut: qui addunt hanc sententiam esse communem Thomistarum. Ex nostris eos sequitur Vasquez tom. 3. in 3. p. disput. 90. c. 3. apud Oviedo, Rubius appd.

C O N T R O V E R S I E

us apud Complut. c. 6. qui omnes constituant in Extensione partium elementaria, in ordine ad se, earumque diuisibilitate, eò quod extensio est ipsa sua. Et diuisibilitas partium formaliter tribuatur à Quantitate, ita ut sine ea nec sit necessaria nec possibilis. Et Complut. disputatione 13. q. 3. §. 2. deducunt. Negant etiam quod in ratione mensura cum Alberto Magno tractat. 8. aut in extensione in ordine ad locum saltem a posteriori cum Mendoza. disputatione 13. de Quant. sect. 5. constiuent; quamvis hic postremus extensionem in ordine ad locum ab impenetrabilitate non distinguat.

Affirmant nostri recentiores cum Arriaga disputatione 5. Metaphysice sect. 1. subsect. 2., Francisco Oviedo Cont. 5. Metaphys. p. 2. qui in sola impenetrabilitate constituant, et hanc Quantitatem omnino in extensam et diuisibilem quoad se et locum admittit.

Dico 2. Cum Extensio in ordine ad se, & in ordine ad locum non modò aptitudinalis, sed & actualis materiarum etiam abstracta omni Quantitate vel realiter vel formaliter conueniat, imò de facto Quantitas existat secundum aliquos, cui diuisibilitas partium penitus repugnat, in eâ nec consistere poterit ratio formalis Quantitatis. Quamvis autem omnis Quantitas esset necessariò extensa in ordine ad locum, ea tamen Quantitatis non est propria, sed cum quolibet ente creato etiam spirituali communis. Consistit proinde in exiguitate impenetrabilitatis, quæ non minus entitas est quædam omnino absoluta (licet explicetur per aliud eiusdem secū speciei cum quo penetrarinetur) quammodum Ubicationis aut Durationis.

III. AN CONTINVVM COMPOVATVR EX PARTIBVS IN INFINITVM DIVISIBILBVIS?

Affirmant Peripatetici cum Aristotele, et cum Angelico Doctori et omnibus etiam in hisce D: Thomae interprete paucis tantoribus exceptis, et loquuntur Complut: Disputatione 1. 25. q. 2. Et quotquot Bonâ robustâq; fide credunt ab ipso DEO etiam unam multis aliis per totam eternitatem diuidi, erisq; singula partibus solum terrarum orbem milles et etiam ultraesse, nec sicut enim diuisibilitatem ex eo absoluere posse.

Negant Stoici cum Zenone, quos etiam nouissime, inquit Complut: disputatione 25. q. 2. §. 1. sequuntur nonnulli moderni ex Societate IESV, qui scripta sua nondum pralo mandarunt. Et apud Oviedo Cont. 17. p. 1. Toletus testatur plures esse et tempore, qui sententiam Zenonis Veram esse existimant: Imò apud eundem P: Valentinus de Henice in 1. p: tract: 4. disputatione 43. c. 2. n. 6. tomo edito sententiam hanc tradit. Et Veram, quam in physicis se defendisse dicit: tenet eandem loachimus Doctor Valentinus auctoris lib: 6. physic: Disputatione 1. sect. 2. p. 1. Ebi affirmat sibi constare in multis et grauiissimis academis non sine plausu defendit; et in eam sententiam valde inclinat Arriag. Disputatione 16. sect. 12. Et tandem non expresse tenet, licet obiq; supponat in sua philosophia. Oviedo Verò in successivo. Continuo non inuitus sentires cum Zenone, quia illum omnino solus latet ad aliqua argumenta.

Dico 3. Semel creditâ & admisâ diuisibilitate partium in infinitum actu existentium, eadēm fide credendum & consequenter est assertendum dari de facto infinitum actu saltem in multitudine, quod absolutè admittit Oviedo, & ex hypothesi huius sententiae Arriaga, nisi terminis ludere velis, quibus obruaris, non acquiescas. Quamvis autem non defuerint, qui assertent continuum actu nullas habere partes, sed potestate, neque actu esse compositum, sed potestate continere infinitas partes, in quas possit dissecari, eam tamē sententiam Arriaga Disputatione 16. sect. 2. ait iam exoleuisse; Mendoza

verò

verò Disput. 15. sect. 1. ita censet, ut nullum eius fundatum esse dicat nisi ut effugiat difficultates continuas; Cum igitur Infinitum actu contradictionem inuoluat, diuisibilitatem partium in infinitum, nemo consequenter admittet, nisi prius infinitum actu ex sententiā Aristotelis non sequi, aut hoc non inuoluere contradictionem perceptibiliter ostendat.

IV. AN CONTINVVM COMPOONATVR EX SOLIS INDIVISIBLIBVS OMNINO INEXTENSIS?

Affirmant Zenonistæ, ita tamen, sicut, quamvis unum indivisibile sit inextensum in se, alteri tamen coniunctum faciat extensionem: differunt tamen, quod aliquis ex finiti, alij ex infinitis Continuum componant. quos sequuntur Doctissimi, inquit Ouiedo, Magistri, & plerique ex posterioribus & ingeniosoribus huius etatis in hanc sententiam conspirant.

Negant Aristotelici, & contra sententiam Zenonis integras argumentorum classes producent, ex Theologî, philosophia & postissimam mathematica petitas.

Dic o 4. Vnum indivisibile omnino inextensem additum alteri, sicut extra illud esse non potest, si illud, ut debet, adequate tangat, ita nec extensionem ullam facit, siue proinde finita, siue infinita sunt indivisibilia, siue tangent tam parum facient extensionem, quam vnum solum. Præterquam quod in sententia Zenonis, motus tardus & velox, circulus parvus & magnus, linea longa & brevis essent omnino æquales, quia tamen omnia sunt contra experientiam oculorum, rationem physicam & Demonstrationem Mathematicam, ne dicam etiam contra definitionem Ecclesiasticam.

V. AN CONTINVVM COMPOONATVR SOLVM EX INDIVISIBLIBVS VIRTUALITER EXTENSIS?

Affirmant Recentiores aliqui, qui quidem Continuum constitunt ex scilicet punctis finitis cum Zenone, addunt tamen illa puncta, et siendi visibilia sine, occupare tamen spatum diuisibile, V.g. duo vel quartus indiuisibilia spatij, & referunt ea sententia ab Hurtado Disput. 15. sect. 5. eiusq[ue] inuentorem Vocat suum magistrum, item ab Arriaga dispe. 16. sect. 5. & eam sententiam, quam, inquit, aliquis ex his recentioribus à se inuenit gloriantur, assertis in se etiam satis antiquam. & Ouiedo Cons. 7. de Gen. p. 3. n. 13. faciuntur apud nullos bastentur & differentiationem efficacem & ergentem contra hacturgida indiuisibilia.

Negat Mendoza disput. 15. phys. sect. 5. subsect. 4. eamq[ue] sententiam Vocat paradoxam & sine fundamento ex cerebro suis magistri efficiam. Arriaga disput. 16. sect. 9. subsect. 1. eam opinionem Vocat improbabilem; et quod Virtualis extensio soli est in spirituали conueniat, nec per hanc turgida indiuisibilia difficultatibus Continui satisfiat. Ouiedo ex eo solùm captere iacet, quia nulla ratione nescitur & probatur.

Dic o 5. Quamvis indiuisibilia inflata, turgida, virtualiter extensa, aut quoque cunque alio nomine insignire velis, nec careant omnipotens auctoritate, & ratione, & magnis philosophiarum difficultatibus, quibus alij propriâ quoque confessione cum Arriaga & Ouiedo succumbunt, facilius satisfaciant, nec etiam ita reicienda sint, quasi perinde essent contra Aristotelem, atque indiuisibilia Zenonis, cum diuisibilitatem quoque virtualem saltē in ordine ad locum concedant, sicque cum Aristotele diuisibilitatem, cum Zenone vero indiuisibilia, media quādam opinione concilient; Nihilominus

minus tamen quia ab Aristotele recedere omnino non est animus, integerrimā illius autoritate de Compositione Continui ac partibus in infinitum diuisibilibus, eam de facto dari propter auctoritatem fidemque Aristotelicam credimus, licet multa nos in ea sententia nec soluere nec intelligere posse cum Arriagā & Oviedo, omnibusque alijs libenter & vtrō fateamur. de Continuo tantum possibili indagamus, an Continuum aliquod extensum possibile sit, quod ex meris punctis inflatis componatur, quicquid de facto sit, de quo contra Aristotelem nihil mouemus; nec ille quicquam meminit; illudque saltem possibile esse tam parum est inauditum aut nouum, vt etiam ipsimet aduersarij concedere cogantur, quicunque nobiscum & cum receptissimā hodie à pleriq; philosophia concedunt indiuisibile materiale v. g. caloris posse esse virtualiter extensum, quod sane alijs eiusdem rationis coniunctum faciet continuum ex meris indiuisibilibus inflatis constitutum de possibili proinde hoc continuo sequentes controversias etiam Aristotelicis communes sunt intelligendæ.

VI. AN INDIVISIBILE VIRTUALITER EXTENSVM ETIAM MATERIALE SIT SALTEM POSSIBILE?

Affirmant de facto dari Thomistæ, cum S. Thomā & S. Augustino, qui animas brutorum saltem perfectorum materiales docent esse indiuisibiles, cāsq; Quantitatē Virtualiter coextendant, quos ex nostris sequitur Suarez lib. 1. de anima c. 13. & de possibili Affirmant idē Arriaga disputatione 1. de anima sect. 4. sub. 10. Conimbric. lib. 2. de anima c. 1. q. 8. Ovied. Cont. 1. de anima p. 6. n. 14. qui omnes docent formas materiales cāsq; substantiales & viventes brutorum posse esse indiuisibiles, & coexistentes sotis corporis materiali, dñsibili, ergo idem quoque de formis accidentalibus materialibus, quā continari possunt, erit afferendum.

Negat de possibili Mendoza disputatione 4. de anima sect. 5. cum Vasquez, & quotquot extensionem virtualē entis spiritualiter appropriant, & entis materialis penitus denegant, quamvis eam de facto entis materialis saltem diuinitus negare non possint, de possibili & verò etiam connaturaliter conuenire, possū ex præindicio quodam negent, qui im probent, cū nulla sit implicans aut ex parte indiuisibilitatis, aut materialitatis.

Dico qd. Cū secundū omnes Corpus materiale definitiū existere possit, & de facto secundū Theologos Corpus CHRISTI, iu. Eucharistia supernaturaliter, & secundū Thomistas anima brutorum materiales quantumuis indiuisibiles naturaliter hoc modo existant, id materiali indiuisibili adscribere non est nouum aut inauditum. penitus in Theologiā aut philosophiā, præterquam quod ens spirituale à materiali non per definitiū existentiam, sed per penetrabilitatem distinguatur. Imò & Aristotelici id ipsum concedere tenentur in rarefactione & condensatione, quotquot Continuum ex partibus & indiuisibilibus componunt; non minus enī ista quām partes modò maiorem extensionem per rarefactionem, modò minores per condensationem acquirunt nisi illa aut necessariò penetrari vel replicari, vel noua cāque plura vel pauciora manentibus omnino ijsdem partibus produci, aut corrupti contra eisdem sit afferendum. Denique id adeò verum est, vt aut indiuisibile materiale omnino implicet, quod nec ipsi Aristotelici saltem plerique concedent, vel non nisi virtualiter extensum sit possibile, vnde si vnum alteri addatur v. g. indiuisibile materiā alteri indiuisibili eiusdem secum rationis virtualiter extenso, tam bene extensionem facere poterit, quām si pars existentiū indiuisibilis alteri de facto secundū Aristotelicos addatur. & consequenter Continuum diuisibile constituet, quo posito.

VII. AN.

VII. AN INDIVISIBILIA TURGENTIA DIFFICULTATEM DIVISIBILITATIS CONTINVI IN INFINITVM SOLVERENT?

Negant Arriaga *Disput.* 16. *sext.* 9. *subsext.* 1. *eo quod indivisibilia virtualiter existant in loco extenso*, *& divisibili in infinitum, ita ut eadem difficultas recurrat in loco indivisibili extensi, qua in partibus ad desparationem & que Aristotelicos fatigat.*

Affirmant tamen Recentiores isti, *eo quod divisibilis ut loci longe a se modo ab his explicetur quam divisibilitas partium communiter ab Aristotelico recepta, & recte, nam*

Dico 7. Locus sive spatium divisibile entis indivisibilis si sit imaginarium, nihil est & ab otioso intellectu sine Quantitatis Continuitate praetudicio in infinitum divisibile fingi potest. Si verò reale sit, illud quidem divisibile est in infinitum, nunquam tamen eo sensu, quod unus locus realis, sive ubi in se contineat formaliter & actu infinitas alios ubications, ut tamen quilibet pars in sententiâ Aristotelis infinitas alias partes velut cepæ & alia multiplices, easque infinitas alias membranas, sed tantum æquivalenter & virtualiter, quatenus alijs infinitis, non actu sed tantum potentia existentibus maior aut minor est. Ex qua divisibilitate virtuali tam parum sequitur infinitum actu, quam parum angelus qui infinites excedit & exceditur ab alijs creaturis perfectioribus aut imperfectioribus tantum possibilibus, est actu infinitus. nos proinde difficultas non tangit, nec infinitum actu affigit.

VIII. AN ETIAM INSTANTIA TEMPORIS INFLATA SINT POSSIBILIA?

Affirmat Arriaga *disput.* 16: *sext.* 9. *subsext.* 3. *supposita priori sententiâ afferendum, & inconvenientia arguit, si non eodem modo de instantibus & indivisibilibus philosophantur.*

Negant recentiores, *nec parem necessitatem, aut possibilitem & rationabilem in duracione & ubicatione agnoscamus. & recte.*

*Dico 8. Quamvis nonnulli existimant, posse etiam dari durationem virtualiter extensam, & implere Arriagam *disp. 15. lect. 2. n. 65.* vltro admittat durationem virtualiter inflatam, *Sicut, inquit, potest constitutus Angelus in spatio indivisibili per Vbres respirationis ex se spatium extensem, ita potest constitutus Angelus in tempore indivisibili per Durationem Respirationem Tempus divisibile, ubi expressè Ubicationem & durationem virtualiter extensam contrarie ipsum admittit;* Nihilominus tamen nulla omnino necessitas est durationem virtualiter extendendi, cum Durationem successiuam facere possint Instantia etiam virtualiter in ordine ad tempus inextensa, modò se subsequantur, imò nec possibilem durationem inflatam esse existimo, nisi dicere velis possibile esse, ut ego hodie & simul in tempore Mathusalem & Antichristi existam.*

IX. AN INDIVISIBILIA INFLATA RAREFACTIONEM ET CONDENSATIONEM, TARDITATEM ET VELOCITATEM MOTVS, ITEM FIGVRAS MATHEMATICAS BENE EXPLICARENT?

Negat Arriaga. *disp. 16. sext. 9.* Positâ, *inquit, hac opinione arbitrantur, se planè omnibus difficultatibus satisficerent, Ego autem volo ostendere, illos non nisi viuco argumento (*Grig. de rarefactione & condensatione*) & quidem ægrè satisfacere: præcipua verò nullatenus solui, quamvis postea subsext. 4. doleat se hoc dixisse. Quia, inquit, nec vni satisfaciunt.*

Affirmat Oviedo. *cons. 7. de Gen. p. 3.* Affirmo, *inquit, utrissimum fore si admittili-*

tiliceat (*indivisibilia inflata*) ad difficultatem de rarefactione & Condensatione penitus exhauriendam. Et *infra sit*, et si nulla alia difficultas per hæc indivisibilia solueretur præter rarefactionem & condensationem, satis sufficiens fore emolummentum ex horum turgentium indivisibilium admissione.

Dico 9. Suppositis indivisibilibus virtualiter extensis facile explicatur, quomodo idem Corpus constans ijsdem indivisibilibus modò minus per condensationem, modò maius spatiū per rarefactionem occupet absque vllā nouz entitatis producio-
ne, vel corruptione, vel saltē prioris replicatione, & penetratione. Deinde velocitatem & tarditatem motū ita explicat, vt nec ad morulas sanè incredibiles, recurren-
dum sit, nec tamen tardus & velox motus sint æquales, id est testū tardius mo-
uetur aquilā, quia singula illius indivisibilia minus de loco suo ad æquato perdunt,
quam indivisibilia aquilæ in eodem instanti. Figuræ Mathematicæ de lineaæ æquali di-
uisibilitate, circuli maioris & minoris æqualitate &c. per hanc tentationem ita decla-
rantur, vt nullum relinquant locum difficultati, quantumvis contra Zenonem multū
virgeant, & penitus conuincant.

X. AN VNVM INDIVISIBILE MAIUS ALTERO DICI POSSET?

Negat Mendoza §. 104. Et id adeò absurdum esse putat, ut pudeat impugnare.

Affirmat idem Mendoza *contra se ipsum*, cùm angelus, anima rationalis indivi-
sibilis existens in spatiō palmaris minor angelo altero, aut etiam se ipso existente in spati-
o nō sua academia; item cùm vnū indivisibile Quantitas Eucharistica occupans spati-
um indivisibile per presentiam definituam sit maius altero aut etiam se ipso occupante
spatiū indivisibile ante existentiam definituam; quare non adeo id absurdum est, cùm
id de facto contingat.

Dico 11. Vnum indivisibile non tantum aliò, sed etiam se ipso potest esse ma-
ius, & minus pro diversâ status exigentia: in æqualitas autem illa extensionis prouenit
quandoque ab intrinsecâ naturâ & exigentia indivisibilis; sic indivisibile essis minorem
petit extensionem quam indivisibile carnis, quandoque ab extrinseco potissimum verò
per rarefactionem & condensationem. Quòd si queras, quam figuram habeant indivi-
sibilia nostra? repono, quam figuram habet Angelus aut animus rationalis virtualiter
extensus? an rotundam, an quadratam? respondeo tamen admittendam esse figuram
aliquam eam tamen in indivisibilibus per se imperceptibilem & variam pro exigentia
corporis, quod componunt, & dispositionum quæ indivisibilia extendunt, sicuti enim
eadem anima in oculo est rotunda, in alijs partibus quadrata, ita nostra indivisibilia va-
riam habent figuram, prout enim variam induere possunt extensionem pro ei exigentia,
ita diversam inducent sibi figuram, cùm figura ab extensione & vibratione non di-
stinguatur. Abstrahendo tamen ab omni extrinseco, indivisibilia quadrata magis pla-
cerent, cùm hæc figura Continui, ad quod maximè ordinantur secundum omnem di-
mensionem extensi maiorem æqualitatem inducat; quòd si rotunda forent necessariò
lacunæ admittenda forent, quamvis & illæ pro corporeulis tenuissimis Arriagæ & O-
viedo possent deseruire: essent enim velut cellæ illorum corporeulorum, quæ in rare-
factione ceu ex cubilibus suis exturbarentur, & in condensatione denuo admitterentur.

XI. AN INDIVISIBILIA HAEC FORENT IMPENETRABILIA?

Affirmat Mendoza, sicut enim indivisibile Zenonis macilensum, sotum ab alio pe-
netratim deglutiiri potest. Et debet, si tangatur ab altero, ita impinguatum indivisibile.
recens-

recentiorum, penetrabitur ab alio, saltem totum si non totaliter maximè cum hac sententia. Ebiq[ue] paritatem cum angelo aut anima rationali pro his indivisibilibus crepet, potissimum in modo definitius existendi, cur non etiam in impenetrabilitate facit paritatem.

Negant Recentiores, quia cum indivisibilia sint vera Quantitas, effectus autem formalis Quantitatis sit impenetrabilitas, etiam indivisibilia Quantitatis erunt impenetrabilia. Alij huius sententiae apud Ouedo p. 3. n. 7. quamvis impenetrabilitatem adaequatam negant, inadaequatam tamen concedunt, cum hac extensionem Quantitatis minimè tollat, et tamen faciat penetratio adaequata.

Dico 11. Sola Indivisibilia Quantitatis per se sunt impenetrabilia, non autem materiae aut qualitatis, ob rationem formalem Quantitatis in ijs solùm intrinsecè imbibitam; licet autem contactus ijs minimè repugnet, ista tamen non sit per penetratorem saltem adaequatam, ut tamen sit in indivisibilibus Zenonis, cum nunquam unius praesentia alterius presentia adaequetur, aut naturaliter possit adaequare: quamuis autem penetratio inadæquata horum indivisibilium non adeo inaudita sit, aut ita improbabilis ut eam apud Ouedo recentiores non ultra admittant & anno 1616. publicis Thebibus ex lib. de Gen. thes 29. hic Ingolstadij à P. Simone Felice cum Egidio Romano de gen. c. 5. ar. 5. etiam in partibus condensatis sit concessa; ea tamen in nostra sententia de condensatione nullo modo est accessoria.

XII. AN INDIVISIBILIA INTENSIONIS ETIAM VIRTUALITER INTENSA SINT POSSIBILIA?

Affirmant Thomistæ plures cum Fasolo disputatione 11. n. 4. Oued. cont. 14, saltem implicitè, dum docent nec posse dari creaturam omnium perfectissimam, nec imperfectissimam; consequenter nec infinitam in genere intensionis &c. g. remississimam gratiam, aut calorem, sed semper infinitus alijs perfectiore esse: aut imperfectiore.

Negat Arriaga disputatione 16. ex opposito fundamento docens posse dari creaturam omnium perfectissimam & imperfectissimam, consequenter & remississimam in genere aliquius qualitatis, quamvis de facto nullam dari remississimam, que non sit virtualiter intensa, ultra concedat.

Dico 12. Cum quilibet Creatura quantumvis perfecta infinitè adhuc distet à perfectione Dei, & quilibet creatura quantumvis imperfecta infinitè adhuc distet à nihilo, tam parum possibile est indivisibile intensionis, quam extensionis, quamvis profinde unum indivisibile Caloris non sit intensem formaliter, cum non habeat additio nem alterius, est tamen virtualiter intensem; quatenus pluribus se se inferioribus intensione suâ eminenter & virtualiter correspontet.

XIII. AN PARTES QUANTITATIS CONTINVAE PER INDIVISIBILIA, AVT UNIONEM CONTINIVATIVAM COPVLENTVR?

Affirmant Thomistæ copulari per indivisibiliarealiam copulantia, quos apud Complut: disputatione 25. q. 1. s. 2. sequitur Suarez tom. 2. Metaphys. disputatione 40. scilicet s. n. 28. Rub. in praesenti Oued. c. 17. p. 2. n. 11. Ebi admittit in sententia Aristotelis constituenda esse puncta unionis & copulantia simpliciter infinita pro infinitudine partium, &c. & quorunque unionem continuatiuam eamque vel divisibilem vel indivisibilem admittunt.

Negat Albertinus disputatione 3. q. 7. conclus. Enicà, Fonsec. 5. Metaphysics c. 16. q. 6. & alij ex Iunioribus apud Complut. disputatione 25. q. 11. eò quod partes Continui vel actu inter se non distinguuntur, vel si distinguuntur, seipso continentur.

Dico 13. Partes Continui sive Indivisibilia turgida non Continuantur per indivisibilia copulantia, aut unionem Continuatiuam, sed per immediatas illorum praesentia-

sentias; certis quibusdam conditionibus & dispositionibus affectas, ita ut ijs possitis nec per absolutam Dei potentiam, partes ille non sint continuatae. Porro individuabilia esse continuata, est tantum denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, ab individuabilibus eorumque presentijs & affectionibus desumpta.

XIV. AN DENTVR INDIVISIBILIA TERMINANTIA EAQVE POSITIVA IN CONTINUO?

Affirmant Thomistæ iserum apud Complut: *disput. 25. q. 2. §. 2.* Et alij satis censunt, qui Aristotelem sequuntur, eò quod contactus globi perfectè rotundi sine indivisibili terminante positivo salvari non posse.

Negat Franciscus Albertinus *disput. 3. de predicatione. Quantitatù q. 7. conclus. 4.* cum sufficienter terminetur Quantitatem per negationem exteriorum extensionum.

Dico 14. Cum omnia indivisibilia inextensa implacent, etiam terminantia implicabunt; quare nec globum mathematicè rotundum possibilem esse existimamus. Contactus si non fiat per penetrationem aliquam, negatiuè potius quam positivè erit explicandus, ad eum modum quo ijs, qui partes in Continuo sine indivisibilibus admittunt, hoc solum discrimine, quod secundum eos non tota entitas partis, secundum nos verò tota entitas indivisibilis non tamen totaliter attingatur, eo modo quo unus angelus alterum solum tangere potest, absq; vlla penetratione vel adæquatâ vel inadæquatâ.

S. II.

DE LOCO EXTRINSECO ET INTRINSECO.

XV. AN LOCUS EXTRINSECUS SIT SUPERFICIES ULTIMA, SEV TERMINVS PRINVS CORPORIS CONTINENTIS IMMOBILITER?

Affirmant Aristotelici cum Thomisistæ apud Complut: *disput. 19. q. 1. quos etiam nobis sequuntur cum Suarez rom: 2. disp. 51. sett: 2. Albertinus in predic. lib. 15. p. 1. quamvis Hurtadus Disput. 14. sett. 1. Sotà auctoritate Aristotelis, nullâ ratione sufficiunt eam definitionem existimes, Et Arriaga lib. 4. physic. Disput: 14. sett. 1. immobilitatem loci vel superfluam conditionem non admodum probet.*

Negant Stoici, qui in spacio vero, realijs constituant, quod locatum occupet, prout tantum locum extrinsecum terræ v.g. esse intercallum illud, quod in terra occupatur, illudq; esse aliiquid reale, cum habeat trinam illam dimensionem, in quorum sententiam Thomista Marius iterum elenxit, Et dicit se libenter manibus pedibusq; ligatis in hanc sententiam iturum, nisi ad oppositum auctoritas Aristotelis, Et D. Thomas compelleret.

Dico 15. Locus extrinsecus corporis naturalis isque realis non est solum ubi intrinsecum, nec spatium imaginarium aut reale quod à Corpore occupatur, sed est superficies ultima, seu terminus primus Corporis continentis immobiliter. Cum huic superficie omnes loci extrinseci proprietates ab Aristotele assignate conueniant: est enim maior locato, illudque adæquatè continet: est terminus motus localis, in quantum adductio est, non productio: est separabilis à re locata, & immobilis. Porro immobilitas loci extrinseci, per quam à vase aut quasi vase distinguitur, non consistit in superficie vt dicit determinatum ordinem distantie ad primum continens aut aliud quocunque corpus, vt volunt Thomistæ; nec in immobilitate eā, quā locus non mouetur motu locati, vt volunt Conimb. cum Nominalibus; sed in superficie cum hac vibratione & Extensione, per quam formaliter redditur immobilis. Est autem in loco extrinseco reali omne ens materiale præter cælum Empyrium, inquit etiam ens spirituale, v.g. Angelum aut animam rationalem esse in loco extrinseco nil repugnat.

XVI. AN

XVI. AN SIT SPATIUM ALIQVOD IMAGINARIVM NEMINE COGITANTE?

Affirmat Molina. i. p. q. 8. s. 1. Disput. 3. Franciscus Albertinus. Conimbr. Coninck de Sacra. entus q. 75. illudq; nihil aliud esse existimat, quām non repugnantiam, & à corpore replastur, in quo tamen spatio posse esse corpus naturale velut in loco extrinsecō saltem imaginario, non tamen realē.

Negant Vásquez, Bafolos, Mendoza, Quiedo cont. 15. p. 2 dari à partere i hoc spatiū imaginariū, pūiāntq; esse purum figmentum obiectū in intellectu existens, non minis quam chimeram, aut hinc ceterum.

Dico 16. Cū spatiū imaginariū nihil sit creatum vel increatum, conuenientius negatur esse, quām esse, nisi forte obiectuē, quo modo tamen conceptum, formaliter non est solū negatio, siue non repugnantia corporis contenti, eūn negatio subsistere non possit cum sua formā, vt tamen spatiū imaginariū cum corpore contento. Hinc proinde 1. extra cālum nihil est, & corpus extra cālum positum ab alio non per spatiū imaginariū siue quasi interiacentem intercapidinem, sed per intrinsecam vocationem distaret, quatenus inter huius & illius corporis præsentiam alix & alix interponi possent; Hinc 2. vbi intrinsecum non dicit relationem, & respectum ad spatiū imaginariū, vt pote omnino nihil, nisi secundū nostrū imperfectū modū concipiendi & explicandi, adeoque vbi intrinsecum est omnino ens absolutum à respectu transcendentali ad locum extrinsecum realema aut imaginariū.

XVII. AN DEVS SIT IN SPATIO IMAGINARIO?

Affirmat Molina p. 1. q. 8. Disput. 3. Suarez dispat. 30. sett. 7. n. 3. Arriaga dispat. 14. sett. 4. Mendoza disf. 14. sett. 3. eo quid Deus sit Verè extra cālum in mero spatio imaginario. Et hoc ipso, si crearetur ibi aliquod corpus, ei insimile coexistere, nec per motum legalem in moueri deberet.

Negat Vásquez i. p. dispat. 49. c. 2. Quiedo cont. 15. p. 3. eo quod spatiū imaginariū nihil sit, quomodo ergo Deus ei coexistere potest?

Dico 17. Videtur res ad questionem Nominis deuolui, rectius tamen videntur loqui, qui negant D eū in spatio Imaginario existere: cū enim inexisteret alteri, sit alteri coexistere per denominationem partim intrinsecam ab vbi proprio, & partim ab alterius Vbi, ciusque coexistentia, spatiū autem imaginariū omnino non existat, nihil in eo propriè dici poterit existere, nisi inadéquatè & fundamentaliter; quām partim enim unum ouum est alteri simile, nisi & alterum existat, tam parum potest aliquid in loco existere realiter, quin etiam locus realiter existat. Sicut autem Deus est vbique per suam immensitatem secum identificata in se ipso, ita Creatura, si concipiatur extra cālum est ibi per suam vocationem aliquo modo in seipso, non verò in spatio imaginario, quamvis nihil sit propriè in seipso.

XVIII. AN VBI IN TRINSECVM SIT MODVS REALITER DISTINCTVS A RE LOCATA.

Affirmant D. D. nostri pleriq; Theologi quidem cum Suarez 2. Metaphysic Disf. 50. sett. 1. Vásquez i. p. 107. 2. disf. 180. c. 7. Card: Lugo de sacramentis disf. 25. sett. 4. n. 85. Albert de predicatorib; Philosopha Verò cū Médoza disf. 16. sett. 2. Quiedo cont. 15. p. 3. Arriaga, qui tamen hic nimis liberalis ac prodigus est, Et realiter strictè distinguunt disf. 14. sett. 2.

Negant Amodiste cum Egidio Coninck. q. 35. dub. 1. qui vult esse denominationem extrinsecam à loco extrinsecō, hoc enim solo positores sufficenter ponitur esse alicubi, nec terminum motus localis esse hanc præsentiam, sed qualitatem aliquam à præsentia realiter distinctam;

Dico 18. Non solum ex principijs generalibus modorum, sed etiam specialibus, videtur praesentia localis esse entitas realis modalis, adeo, ut, esto actio vniq[ue] non est modi, & sufficienter per denominationem extrinsecam explicitarentur, non tamen idem de vbi esset concedendum, praesertim cum alias terminus motus localis non possit assignari praeceps hanc praesentiā partium: plus autem distinguere quam modaliter, nec necessarium est, nec probabile, cum ex essentiā suā sit exercitium actuale, ille ludq[ue] ex naturā suā valde debile ac infirmum, ut recte Ouedo cont. 4. Metaphysic. p. 6. contra Arriagam concludit.

XIX. AN QVAELIBET DISTINCTA ENTITAS, DISTINCTAM HABEAT VBIICATIONEM?

Affirmat Suarez disp. 41. sct. 5. Rubius tract. de loco. q. 6. contraria opinione reliata, quam in prioribus Comentarij est secutus, Mendoza disput. 1. sct. 4. Ouedo cont. 15. p. 5. Arriaga distinguit, assertusq[ue] omnes formas separabiles à materia habere proprias, distinctasq[ue] praesentias, & probabile iudicat materiam & Quantitatem & parte inseparabiles habere presentiam communem & indistinctam.

Negat Valquez. tom. 1. in 3. p. disp. 199. n. 29. apud Ouedo & docet materiam & reliquias formas substantiales & accidentales, que sunt in cōposito, esse praesentes per Praesentiam Quantitatis. cum eo loquitur Albertinus de pradic. & b[ea]t. Enicā. q. 6. hoc ipso n. quod coingantur, & existantur Quantitati, sufficienter determinantur ad hunc locum.

Dico 19. Cum Materia possit existere saltem supernaturaliter in loco per eandem praesentiam, etiam destruktā quacunq[ue] formā sive substantiali sive accidentalē eāq[ue] sive propriā sive communi, etiam Quantitate, videtur habere propriam praesentiam, & vbiicationem, aliās ad destructionem formā necessariā quoq[ue] materia praesentia mutaretur, quod non videtur esse necessarium, quin tamen per unam vbiicationem omnes cōpositi partes existere possint, non videtur esse denegandum. Unio verò & reliqui modi quantumvis existere non possint sine suo modicato, non tamen necessariā illius vbiicatione existunt, maximè cum modicatum replicari possit modo unionis non replicato. rato secundūm aliquos recentiores praesentiam & distantiam albedinis vg. videri posse, nō item Quantitatis aut substantiae, vnde necessaria distinctio realis erit inferenda.

XX. AN ALIQUID POSSIT ABSOLVI AB OMNI VBIICATIONE?

Affirmat Thomista, qui putant cœlos de facto, & Angelos de possibili posse nullib[us] existere apud Complut. disput. 19. q. 6. sed evidenter tantum loqui de loco extrinseco non intrinseco. de intrinseco autem affirmat apud Ouedo cont. 15. p. 7. Valquez tom. 2. in 1. p. disp. 195. c. 3. & 4. P. Moncœus disp. 1. c. 2. & 3. P. Ouedo loc. cit. eo quod producta re creata DEVS possit suspendere actionem productionis vbiicationis & parte posteriore.

Negat Suarez lib. 4. de Angelis c. 3. Arriag. Disput. 14. sct. 4. & alij communiter.

Dico 20. Sicut implicat creaturam existere absque Duratione, ita implicat existere sine Vbiicatione, maximè si ponatur non existere in loco reali; quamuis autem non possit existere sine Vbiicatione aliquā saltem indeterminatē sumptā, potest tamen sine qualibet distributiōne & determinate acceptā.

XXI. AN IDEM CORPVS POSSIT ESSE SIMVL CIRCVMSCRIPITIVE IN DVPLICI LOCO?

Negat Communis Schola Thomistarum apud Complut. disput. 19. q. 8. quos ex nos stris sequitur Valquez tom. 3. in 3. p. Disp. 189. c. 8. quis effet in loco adequato, & non effet: sicut itaq[ue] eadem res non potest secundūm Thomistas producī simul per plures actiones totales, ita nec in eodem vel pluribus locis consistit per plures vbiicationes totales.

Affir-

Affirmant Scotistæ apud Ouid. *Cont. 15. p. 9.* quos sequuntur nostri communiter.
Et Suarez *som. 3. in 3. p. Disput. 8. sect. 4.* Et in *Metaphysic. som. 2. Disput. 48. sect. 4.* Bel-
larminus *lib. 3. de Eucharistia.* Mendoza, Arriaga, Ouidio cum nulla sit implicatio,
nec etiam specialis ratio, cur in pluribus locis posse definitiū existere. Et non etiam cir-
cumscriptiū.

Dico 21. Eodem modo sentiendum est Corpus Naturale posse in duobus locis
constitui supernaturaliter definitiū & circumscriptiū, cū tota repugnantia naturalis
proueniat ex incompossibilitate naturali duarum præsentiarum in eodem subiecto.
Quæ tamen incompossibilitas non minùs per diuinam potentiam tolli potest, quām
incompossibilitas duarum formarum substancialium in eadem materiā. argumenta
contraria si quid probant, etiam de præsentia definitiū contra communem Catholico-
rum sententiam concludunt.

XXII. AN ETIAM VBI ET ACCIDENS QVODLIBET A LOCO DEPENDENS POSSIT REPLICARI SALTEM DIVINITVS?

Affirmant aliqui recentiores apud Eminent. Card. Io: de Lugo in *Sacramento*
Eucharistia. Disput. 5. sect. 3. Et Ouidio *Cont. 15. p. 10.* sea quidem ut Vbicatio essentiali-
tter quidem hic subiectum constituit, accidentaliter tamen etiam alibi posse constitui,
ad eum ferè modum quo Arriag: *Disput. 4. Metaphysic. sect. 13. subsect. 2.* probabiliter
autem posse subsistentiam crearam, et si sit modus propria natura, alienam naturam ter-
minare per modum alium superadditum, ita ut terminet duplē naturam, propriam
per se ipsam essentialiter, alienam vero accidentaliter per modum sibi superadditum,
ita eadem præsentia essentialiter quidem hic constituit, accidentaliter tamen potest ei-
am alibi constitutere, eodem modo de actione, Et quolibet alio modo discurrere possent;
quo in casu Vbicatio per distinctam a se Vtione, Et non per se ipsam Corporis replicato
coniungeretur.

Negat tamen Communis Sententia cum Ouid: *v. 15. p. 10.* cum consensu omnis
sum ferè D. D. à quo recedere sine gravis ratione videtur esse temerarum, Et aqua con-
tra communē traduntur singuli ratione debent probari, non tantum temerē affirmari.

Dico 22. Nec Vbi, nec vllum aliud accidens huic soli loco essentialiter affixum
cum corpore replicato, etiam per abolutam Dei potentiam potest replicari, quām pa-
rūm enim per hodiernam Durationem eas possum durare, tam parūm hic Ingolstadij
possum Romæ existere, quod tamen necessariō foret afferendum, instantia allata dubia
valde est, & controvēsa maximē in entitate modali, quæ per tuam essentialiam est exer-
citium actuale, nihilque aliud confert, nec conferre vñquam aliud potest, quām quod
actu confert, alijs modus non esset, quod si tamen subsistentia, aut Vbicatio esset Qua-
litas realiter distincta, vt vult Arriaga, contrariū fortè non omnino improbabile esset
afferendum; sed quia hoc nouum omnino & insolens, & illud quoque negandum erit.

XXIII. AN ACCIDENTIA A LOCO ABSOLVTA CORPORI RE- PLICATO VTRIBIQUE NECESSARIO CONVENIANT?

Affirmat Scotus, Et cum eo Vasquez apud Arriagam *Disput. 14. sect. 10.* Rub. strati.
de loco, eò quod accidentia absoluta ex vñā parte sint à loco absoluta, ex altera vero cor-
poris replicato vñta, inde fit, ut Vbicungz subiectum est, ibi etiam sint forma, substantia
les Et accidentiales eidem vñta; maximē quia alijs eadem V. g. materia esset quanta, Et
non esset Quanta, Et.

Negat Arriaga loc. cit. Et Ouidio, sicut enim eadem anima existens in pede, Et in
capite, non habet eadem Vbiqz accidentia, sic nec idem corpus in duobus locis adiquatis,

C O N T R O V E R S I E

*E*s distinctio consitutum necessariò in omni loco habebit eadem accidentia etiam à loco absoluta.

Dico 23. Cùm existentia subiecti, & existentia accidentis absoluti possit separari, corundem quoque presentia & Vicatio poterit separari, ita vt vnum habeat presentiam in huc, & alterum in alio loco, omnino distantem, & separatam, vnde corpus Petri hic Ingolstadij existentis ponì potest Romæ absque animā, quo casu tamen nequaquam idem corpus dici posset mortuum, & viuum.

XXIV. AN ACCIDENTIA ABSOLVTA A LOCO CORPORI REPLICATO VTRBIQVE CONNATURALITER CONVENIANT?

Negat Arriag: *Disput.* 14. *seft.* 10. *aut* possūs distinguitur; accidentia enim propria & debita sunt connaturaliter ponī simul cum corpore replicato in pluribus locis, cum sp̄ficiente ad illius naturale complementum, non item cetera accidentia communia & cognitio, amor & habitus. *V. g.* cum animā, ex paritate animarationis, qua in pede non habet cognitionem, sed tantum in capite, cū enim sine istis possit anima connaturaliter existere, non est ratio, cur illa utrobique debeantur, distinguunt etsi Suarez tom. 3. in 3. p. *Disput.* 48. apud Arriag. *Vtq.* si corpus simul in duobus locis aquē primō replicetur, eadem utrobique, *vel* nullibz, *vel* aliquaque hic non verò alijs, secundūm DEI arbitrium replicari, si autem prius in uno loco existens in altero replicetur, debere secum trahere omnes qualitates, quas in primo loco habebat.

Affirmat Eminent. Card. Io: De Lugo *Disput.* 5. de *Sacramentis*, *seft.* 2. Oviedo *cont.* 15. p. 10. § 3. quia quidquid spirituū est cum corpore, nō sit dependens à loco connaturaliter peti replicari.

Dico 24. Accidentia omnia absoluta sive communia, sive propria in uno loco corpori vnta etiam connaturaliter replicantur cum corpore replicato, cū id fiat in Eucharistiā, & iuxta re naturam sit, vt ea, quae cum altero coniuncta sunt, illud continentur quocumque ierit, motis enim nobis mouentur omnia quae sunt in nobis, hinc eadem omnino Qualitates, habitus, & actus utrobique cum corpore & homine replicato in duobus locis ponuntur, etiam tunc quando Causa efficiens non replicatur. Illa autem accidentia absolute quae vel propter ipsum incompossibilitatem, aut propter incapacitatem subiecti non possunt in eodem loco simul coexistere, nec in duobus posterunt, cū virtus intrinseca corporis replicati vi replicationis non augeatur. Hinc nec materia in duobus locis replicata potest simul duas formas substantiales sustentare, aut ijs vnit: nec duas qualitates contrarias in gradu intenso recipere.

XXV. AN PRAESENTIA DEFINITIVA ET CIRCVMSSCRIPTIVA

SPECIE DISTINGVANTVR?

Affirmat Suarez in *Methaphys. Disput.* 51. *seft.* 6. n. 8. *et* quod modus saltē existēti definitiū & circumscripsiū sit Galatea-dissensio, & confirmari posset ex eo quod presentia circumscripsiū sit propria Corporis, & materialis, excludens etiam presentiam, sive propriam sive alienam. Presentia vero definitiū sit propria spirituum, & spiritualis, non excludens alienam presentiam necessariam propriam in diverso loco, & sit in angelis, anima rationali, & corpore Christi Eucharistico.

Negat apud Ovied. Arriag. *Disput.* 1. de *animis* *seft.* 4. *subseft.* 8. n. 113. sed ibi solum dicit in Eucharistiā presentiam definitiū posse esse materiale, & in materialitate conuenire posse cum Vicie circumscripsiū, quamvis autem in materialitate conuenire, non tamen alio ex capite distinguiri facie repugnat,

Dico.

Dico 25. Vbi inter se potissimum distinguntur species vel numeris, atque ratione subiecti, aut ratione modi existendi, aut intrinsece naturæ, non autem præcisè ratione spatiij in quo existant; Quare præsentia Definitiva & circumscriptiva interdum quidem specie distingui possunt si sint differentiae ad quadratum, non tamen id sit necessarium, cum eadem præsentia possit esse simul definitiva & circumscriptiva, ut si per unam Ubicationem & præsentiam materia & forma hominis existet, imo idem corpus simul & semel posset definitivè & circumscriptivè existere per præsentias circumscriptivas partium corporis multiplicatas, ut fieret, si corp^s Christi sub Quantitate panis homini correspondente consecraretur, quo casu perdere posset præsentiam definitiuanam manente circumscriptivam solum per ablationem aliquarum Ubicationum. De præsentia Dei & Sacramentali Christi Domini, Theologi fuisus; De præsentia animæ rationalis & angeli Animalici & Metaphysici controuerentes.

§. III.

DE TEMPORE.

XXVI. AN DVRATIO DISTINGVATVR A RE DVRANTE?

Negant Scotisti & aliqui Thomistæ apud Suarez tom. 2. *Methaphys. Disput. 50. scđt. 1. Et cum ijs Suarez, Vasquez, Molina, Valentia tom. 1. Disput. 1. q. 10. p. 3. Peretius, Mendoza disput. 17. scđt. 3. subscđt. 4. Oviedo, cont. 16. p. 1. §. 3. eo quod Duratio nihil aliud sit quam persistencia seu continuatio rei in suo esse cum connotatione ad extrinsecum tempus actu vel potentiam: hoc ipsis enim concipiunt rem durare, nam ista duobus positio necessariores durat.*

Affirmant Thomistæ cum Complut: *Disput. 21. q. 3. quos sequuntur e nobis Cozimb. c. 14. q. 3. Rubius q. 4. Arriaga Disput. 15 scđt. 1. subscđt. 1. 2. 3. 4. Salas apud eundem tom. 1. in 1. 2. tract. 7. Disp. 12. obfundamenta generalia modorum.*

Dico 26. Cum non sit minor ratio distinguendi durationem à re durante, imo aliquo modo maior, quam Ubicationem, Actionem, & Unionem, consequenter afferendum Durationem à re Durante saltem realiter modaliter distinguiri.

XXVII. AN DVRATIO SIT MODVS SPECIALIS ET REALITER DISTINCTVS AB ACTIONE PRODVCTIVA VEL CONSERVATIVA?

Negat Eminent. Card. Io. de Lugo tom. de iucernat. *Disput. 19. scđt. 1. n. 20. de cassdurationem esse quidem aliquid distinctum à re Durante, non tamen illam constituit in modo aliquo superueniente rei iam existenti, sed in actione, ex vicibus entitas constituantur existentes, ita ut durare formaliter non sit aliud, quam iam produci aut conservari. eandem sententiam videtur tenere apud Complut. *Disput. 21. q. 3. Durandus, in 2. diff. 2. q. 3. Et alij ex recentioribus, qui putant tempus non distinguere ante operationem intellectus à motu sine actione Et Passione.**

Affirmat Communis sententia cum Thomistis, Et ait Oviedo, cont. 16. p. 1. §. 2. que docet durationem esse modum rei iam existentis Et per actionem productam /superuenientem.

Dico 27. Duratio est modus specialis ab actione productiuā & conferuatiuā distinctus, ne & actionem productiuam essentialiter successiuam, & irreproducibilem esse sit afferendum, aut sanè si nihil aliud est durare, quam iam produci & conferuari, & ideo ab actione non distinguitur, eodem iure non distingueretur existentia aut Ubicatio ab actione productiuā; eodem modo enim hic existere, erit hic produci, quod tamen, quis omnino nouū est, ideo nec prius, nec posterius erit afferendum; Verum quidem est iam produci non

non distingui ab actione productiva saltem inadequatè, inuoluit tamen duos modos: realiter distinctos à se mutuè separabiles, actionem & Durationem.


XXVIII. AN DVRATIO ETIAM RERVM PERMANENTIVM SIT ESSENTIALITER SVCCESSTVA?

Affirmant aliquo modo Thomistæ: vel potius distinguunt apud Complut. Disput. 21. q. 7. §. 2. quos sequitur è nostris Toletus q. 14. huius lib: Fons: Galij communiter.

Negant Scotistæ apud Rubium lit. 4. physic. tract: de Tempore, quos ipse sequitur, eum Suarez Disq. 50. sect. 7. Conimbr. 4. physic. c. 12. q. 18. cum enim duratio debeat commensurari rei duranti, si res durans est permanens, etiam Duratio erit permanens, ita ut Angelus, Anima, aut homo permanens eadem indiuisibilis Duratione, duret hodie, quâcunq; durabit, sicut per eandem actionem produci potest.

Dico 28. Cùm Duratio sit essentialiter successiva & non minùs determinata ad hoc tempus imaginarium, saltem ex nostro modo intelligendi, & declarandi, quâm Ubicatio ad hoc spatiū, erit essentialiter successiva, ita quidem vt contradictionem inuoluat, durationem vnam indiuisibilem & creatam pluribus instantibus coexistere, quantumvis vnum indiuisibile pluribus spatijs saltem inadequatis necessariò coexistat; Hinc probabiliter I. nec æxum angelicæ animæ rationalis est formaliter indiuisibile contra Thomistas. Hinc II. probabiliter non est possibilis creatura, quæ essentialiter per integrum horam existat, multò minùs per totam æternitatem. Atque Hæc de tribus proprietatibus Corporis pro chartæ angustijs sufficiant, in honorem eius, qui sine Quantitate est maximus, sine Ubicatione Immensus, & sine Tempore Æternus.

Omnia ad Maiorem Dei gloriam.


 Controversia presentes de proprietatibus corporis naturalis, quia docte neruosèque singula trutinant, & præsertim indiuisibilium turgidorum ingeniosam difficultatem subtiliter discutiunt, sine villa fidei: aut morum labo scholastico euentilabuntur certamine, & typis mandabuntur.

GVILIELMVS LVDOVICVS BENNTZ,
 SS. Theol. Doctor, eiusdémq; Professor ordinarius, & pro tempore Facultatis Theologicae Decanus.

Controversias istas de proprietatibus corporis naturalis, in quibus varie sententiae eruditè referuntur, & animosè ac doctè de jis stantur, luce & publica concertatione dignas censeo.

ADAMVS BVRGHABER Societatis IESV, Philosophia Professor ord. & pro tempore Decanus,

